

* Nulla veritas religionis in posterum firma consistet, sedente pro tribunali sola ratione, quæ ad summum doctrinas aliquas ad fines suos practicos et essentialis postulare, de veritate autem vel falsitate quarumvis propositionum circa Revelationem versantium, fatentibus adeo Kantianis, iudicium ferre non valet.

XLII. Hoc ergo argumentum auctoritati committendum erat, quæ modo *per scripta*, modo *per tradita*, modo *per utriusque generis testimonia* sese exerit. *

* Characteres in auctoritate necessarii, ut omnes Christi cultores absque ulla ambiguitate intelligant, se et integram Jesu religionem tenere, eandemque prorsus in eadem significatione accipere, in qua Jesus et Apostoli acceperunt.

XLIII. Hanc sufficientem notitiam testimonia scripta, seu *Libri sacri solitarie sumti* nec tribuunt nec tribuere possunt; quia nec omnes veritates et leges complectuntur, neque eas, quas complectuntur, omnes satis dilucide exponunt. *

* Protestantes ex suis principiis probare non possunt, se et totam doctrinam Jesu Christi tenere, et S. Scripturæ verba eo sensu intelligere, quo ea Jesus et Apostoli intellexerunt.

XLIV. Proinde cum scriptis testimoniis coniungi debent, TRADITIO, sive testimonia